



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

CXLI. De mutatione Sandaliorum in Calceos pro Monachis Congregationis  
Fulien.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

Academiæ, seu Institutum scientiarum Præses, antequam gratia creationis in nostrum, & Sedis prædictæ Notarium illi, ut supra, concessa perfui valeat, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a dicta Sede propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneatur.

§. 11. Quodque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXLI.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Monachorum Congregationis Fulien. de mutatione Sandaliorum in calceos.

*A Paulo V. Const. ed. 1608. Mar. 28. P. 3. concessa fuit facultas consuecendi Ceras Agnus Dei.*

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

Dat. 15. Junii  
1715. An. 15.Decretum  
præd. cum  
ejus causis.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a S. Catharina Prior Provincialis Provincia Aquitanicæ Monachorum Congregationis Fulien. Ordinis Cisterciens., quod cum habita in novissimo Capitulo Generali ejusdem Congregationis anno proxime præterito in Abbatia S. Maximini prope Civitatem Aurelianen. celebrato, super usu deferendi Sandalia, pluribus abhinc annis in dicta Congregatione introducto, matura deliberatione, compertum fuisse, usum Sandaliorum hujusmodi, non solum generali Monachorum cæterarum Congregationum Monasticarum, ac præsertim Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis præfati, qui calceos communiter gestant, consuetudini contrarium esse, verum ipsimet etiam Regulæ S. Benedicti Cap. 55. sub qua Monachi primordiæ Congregationis vivunt, adversari, plurimumque ipsorum Monachorum valetudini obesse, atque multiplicia exinde incommoda in laudabilem supradictæ Congregationis Institutum perniciem provenire, his omnibus in prædicto Capitulo Generali Sess. XIII., & XIV. rite discussis, & accurate perpenfis, pro bono ejusdem Congregationis regimine, ac Monasticæ in ea disciplinæ progressus charissimo etiam in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo id ipsum suadente, decretum fuit (reservato tamen nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito) ut usus Sandaliorum ejusmodi in usum calceorum, deinceps commutaretur, sicque sublato Sandaliorum discrimine inter utramque Congregationem prædictam memorati Ordinis Cisterciens., in usu, ac delatione calceorum uniformitas induceretur. Quare præfatus Petrus Prior Provincialis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsius Petri Prioris Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis oc-

casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium Procuratorem Generalem Congregationis, & Ordinis præfatorum audiverunt, consilio, prænarratum Decretum super commutatione usus Sandaliorum in usum calceorum a d. Capitulo Generali, ut præfertur, editum ita tamen ut calcei per Monachos Congregationis, & Ordinis hujusmodi gestandi humilitatem, & simplicitatem Monasticam omnino præferant, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 2. Decernentes eadem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectu inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Fulien., & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Confirmatur Decretum Magistri Gen. Ordinis Prædicatorum pro abolitione alternativæ in electione Provincialis Provincia S. Antonini Novi Regni Granaten.

Confirmatio  
relati Decre-  
ti.

Clausula.

CXLI.

*Const. ed. 1712. Jul. 2. P. 12. concessum fuit suffragium singulis Prioribus dictæ Provincia. Et Inn. XIII. Const. ed. 1722. Apr. 24. P. 1. conceduntur octo gradus Magisterii pro Provincia Mexicana.*